



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lapis Philosophicus, Et Aurum Potabile, Eleemosyna

Fouillon, Jean E.

Leodii, 1667

Considerationes Septem, Ad Disponendum Æternitatis Ingressum, Ubi
Semel Errasse, Semper Errasse Est.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51728](#)

CONSIDERATIONES
SEPTEM,
AD DISPONENDUM
ÆTERNITATIS
INGRESSUM,
UBI SEMEL ERRASSE,
SEMPER ERRASSE EST.

I. QUID EST VITA HOMINIS?

Luxus præceps, cuius ne stillula quidem teneri potest : fugax curriculum , cuius nec momentum stabile est : ortūs & interitūs concatenata revolubilitas , cuius ne punctum quidem fixum est.

Quid est vita vestra? Vapor est, ad modicum parens, & deinceps exterminabitur. Jac. 4.

F 2

Quid

*Quid dicturus es, male amator, perversus
amator : quid dicturus es huic amata
vitæ tue? Dic, alloquere, blandire si po-
tes. Quid dicturus es? Ad istam nudi-
tatem me perduxit pulcritudo tua. Cla-
mat tibi, Fæda sum, & tu amas? Cla-
mat, Dura sum, & tu amplecteris? Cla-
mat, Volatrica sum, & tu sequi conaris? Ec-
ce respondet tibi amata tua, Non tecum
stabo. August. Ser. III. de diver.*

2. QUID EST MORS.

NATURÆ humanæ debitum, ab omnibus solvendum ; horâ, quâ creditor repetet ; loco, quo depositor volet ; modo, quo Deus statuet : horâ, loco, modo, quibus debitor nescit.

Quis est homo qui vivet, & non videbit mortem? Ps. 88.

Vita hæc misera est, mors incerta : si subito obrepatur, quomodo hinc exhibimus?
Aug. l. 6. Conf. c. III.:

3. QUID

3. QUID EST ÆTERNITAS?

INITIUM sine fine: finis semper incipiens: vitarum humanarum interminatus terminus: futurum semper præsens, & futurum: fluentibus assiduè partibus permanens totum. Hoc nostra est æternitas, quæ mortem excipit. Nam Dei æternitas, est punctum immobile, cui neque initium, nec finis est: ex quo evolvuntur initia omnia, & fines. Æternitas nostra est, semper fore: Dei æternitas, semper esse.

Numerus dierum hominum, ut multum, centum anni: quasi gutta aquæ maris deputati sunt, & sicut calculus arenæ, sic exigui anni in die ævi. Eccles. c. 18.

Quidquid vis, dicas de æternitate: ideo autem quidquid vis dicas, quia quidquid dicas, minus dicas. Sed ideo necesse est aliquid

F 3

dicas,

ducas, ut sit unde cogites, quod non potest dici. Aug. in Psal. 61.

4. QUID EST INFÆLIX
ÆTERNITAS?

MORS numquam moritura :
vita semper moriens : cala-
mitatum omnigenarum horribi-
lis immortalitas : pœna sensûs
omnis interni, & externi, num-
quam desituta : pœna immensi
damni, ex summi boni irreparabili
jacturâ.

*Fumus tormentorum eorum ascendet in
secula seculorum : nec habent requiem die
ac nocte.* Apoc. c. 14. Pars illorum
erit in stagno ardenti igne, & sulphure :
haec est mors secunda. Apoc. c. 21.

*Quia non videns placuisti tibi, disipline-
bis & mihi, & tibi ; mihi, cum judicabe-
ris ; tibi, cum ardebis.* In Ps. 49.

*Qui dulcedinem sapientie & veritatis
utcumque sentire cuperunt, noverint quod
dico ;*

dico ; quanta pœna est , tantummodo à facie Dei separari. Ib.

5. QUID EST FÆLIX
æternitas?

INFINITI boni perpetuum, cum immobili possessione, desiderium: jucunditas continua sine mistura fastidii: sine vicissitudine laboris jucundissima quies: immutable gaudium de præsentia omnium, quæ benè delectant; absentiâ omnium, quæ cruciant.

Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ preparavit Deus ius, qui diligunt eum. 1. Cor. 2.

Extendat anima cupiditatem suam, & sinu capaciore querat comprehendere, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Desiderari potest, concupisci potest, suspirari potest: verbis explicari non potest. Aug. tract. 34. in Jo. Tanta est jucunditas lucis æternae; ut etiam si

etiam si non liceret in ea manere, quam
unius diei morā, propter hoc solum innume-
rables anni hujus vitæ, pleni delitiis, &
circumfluentia temporalium bonorum, ju-
re meritóque contemnerentur. Idem
lib. 3. de lib. arb. c. 25.

6. QUÆ VIA AD INFÆLICEM
æternitatem?

AETERNITATIS oblivio: fu-
turorum præ præsentibus
neglectus: mendax tranquillitas:
insidiosa prosperitas: callosa con-
scientia: insana securitas. Subter-
raneus esse vult, qui nimis terre-
nus est.

Omne quod est in mundo, concupiscen-
tia carnis est, & concupiscentia oculorum,
& superbiaz vitæ. 1. Joan. 2. Via pec-
cantium complanata lapidibus, & in fine
illorum inferi, & tenebra, & pœna. Eccl.
c. 21.

Redite

Redite prævaricatores ad cor, & inhærete illi, qui fecit vos. Quò itis in aspera, quò itis? Quò vobis adhuc, & adhuc, ambulare vias difficiles, & laboriosas? Non est requies, ubi queritis eam. Quærite, quod queritis: sed ibi non est, ubi queritis. Beatam vitam queritis in regione mortis: non est illic. Quomodo enim beata vita, ubi nec vita? Aug. l. 4. Conf. c. 12.

7. QUÆ VIA AD FÆLICEM
æternitatem?

AE TER N I T A T I S memoria: desiderium futurorum: terrenorum præ cælestibus neglegit: conscientiæ cura: vita innocens, aut pœnitens: innocentia, & pœnitentia, coronis bona mors.

Ego sum via, & veritas, & vita, inquit Christus. Joan. c. 14. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vite. Joan. 8. Mundus traxit,

transit, & concupiscentia ejus. Qui au-
tem facit voluntatem Dei, manet in aeternum. I. Jean. 2.

Benè vivite, ne malè moriamini. Au-
gust. Serm. 24. de ver. Dom.
Certè non potest malè mori, qui benè vixe-
rit. Id. de Disc. Christ. sub fi-
nem.

F I N I S.

REPRODUCITUR IN MATERIA